

D. D.

DISSERTATIONIS PHILOSOPHICÆ

DE

NATURA

ET

CONSTITUTIONE

PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ,

PARTICULA POSTERIOR,

QUAM

Cum consensu Ampl. Facult. Philosoph. in Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL,

ELOQUENTIÆ PROFESS. REG. & ORD.

PRO LAUREA

Publico examini submittit

GABRIEL KROGIUS, P. F.

WIBURGENSIS,

Die V. Julii Anni MDCCLIV.

L. H. Q. S.

ABOÆ, Impressit Direc. & Typogr. Reg. Mag. Duc. Finland.
JACOB MERCHELL,

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,
**D. N. HENRICO
HASSEL,**

In Illustri Athenæo Aboënsi Eloq. PROFESSORI
Reg. & Ord.
Consistoriique ibidem ADSESSORI
gravissimo.

Patruī loco omni venerationis cultu ætatem
prosequendo, colendo.

UT opellam hanc, Tibi, Vir Amplissime, in presen-
ti jam consecrare audeam, gravissima exprese-
runt rationes. Inde enim ab illo tempore, quo Mu-
sas primum Auraicas invisere mihi contigit, maxima
Tui in me favoris documenta semper exstare vo-
luisti. Tu consiliis saluberrimis mihi constanter ad-
fuisi; nec operam in iis, que vel ullo modo rebus
meis

118
meis essent profutura, desiderari passus es. Tanta
Tua erga me benivolentiæ indicia expertus sum, ut
Patrem absentem in Te presentem venerari licuerit.
Hinc in sinu mihi gratulor, illam tandem illuxisse diem,
qua reverentiam, animo diu reconditam, in publi-
cum proferre conceditur. Accipe igitur, Vir Am-
plissime, hunc juvenilis ingenii factum, ut gratissimi
animi teseram; accipe ut pietatis & venerationis,
dum vixero, nunquam intermoritura, obsidem. Ut in
posterum quoque Tibi aequè ac pariter me commen-
datum habeas, vehementer oro atque obtestor; quod, si
ex voto contigerit, est, de quo mihi ætatem gratula-
bor.

Amplissimi atque Celeberrimi

NOMINIS TUI

cultor humillimus,
GABRIEL KROGIUS.

Viro Admodum Reverendo atque Praclarissimo,

**D_N. MAG. PAULO
KROGIO,**

Eloquentiæ LECTORI ad Reg. Gymnasium, quod
Borgoæ floret, meritissimo, nec non Consistorii ibi-
dem ADSESSORI æquissimo.

Viro Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,

**D_N. MAC. SAMUELI
KROGIO,**

PASTORI vicario Ecclesiæ, quæ Deo in Piexämäki
colligitur, dignissimo.

Fratribus suis optimis, dilectissimis,

O plurima in me nullo non tempore collata
beneficia, nec non in tesseram amoris fla-
grantissimi, pagellas has cum omnigena felicitatis
adpreccatione dat disat & dedicat, Vobis Fratres
estumatisimi

Addictissimus
GABRIEL KROGIUS.



§. XVIII.



Philosophia Practica est Scientia
dirigendi facultatem appetitivam
in eligendo bono & fugiendo ma-
lo; vel quod idem est: Scientia
componendi actiones liberas ad
normam Legis Naturalis: Lex
enim Naturalis docet, quid bo-
num quidve malum, adeoque quid agendum vel
omittendum sit §. 16. Hinc etiam Jus Naturæ vel
Jurisprudentia Naturalis dicitur; quemadmodum
Philosophiæ Moralis nomine interdum venire so-
let, quatenus mores nostros dirigit, dum normam
exhibet vitæ actionibusque nostris.

§. XIX.

Complectitur itaque Jurisprudentia Naturalis seu
Philosophia Practica 1:0 theoriam Juris vel sci-
entiam boni & mali, atque 2:do scientiam recte ad-
plicandi eandem Juris theoriam. Quamvis vero sic
veritates involvat theoreticas, non tamen eorum
probamus institutum, qui cum Wolfio illas sejun-
gunt

gunt, & a se mutuo divellunt, ipsam theoriam legum in sic dicto Jure Naturæ Ethico & Politico, modum vero eandem adplicandi in diversis Scientiæ partibus, quas Ethicæ & Politicæ nomine compellant, docentes. Sic enim molem Disciplinæ nimium quantum augent, Scientiamque hanc præter omnem necessitatem ambagibus & inanibus aliquando speculationibus, quibus in praxi nullus est locus, temere involvunt; quum practica theoreticis, ex quibus iusta serie descendunt, commode subjungantur. Neque theoretica illa, quæ Philosophiam Practicam ingrediuntur, adeo a praxi sunt aliena, vel ab usu communi longe remota, ut eorum adplicandi ratio diversis Disciplinis conducere debeat.

§. XX.

Objectum Philosophiæ Practicæ, quod ipsa docet definitio, constituit Lex naturæ §. 18. cujus existentiam demonstravimus §. 13 simulque attributa, extensionem & summam supra §. §. 15. 16. exposuimus.

§. XXI.

Definitio sic Scientiæ nostræ objecto, quoque ejus pateant limites facile constat. Hos vero ad actiones tantum externas, quarum in foro humano valet æstimatio, male restringit Puffendorfius in præf. Libr. de Off. Hom. & Civis §. 9: quum omnes omnino actiones liberas & internas & externas hominis naturalis dirigat. §. 20. 15. 16.

Neque

Neque Disciplina nostra terminis hujus vitæ prorsus includitur, quod loco citato §. 8. adferit idem Auctor. Licet enim modum reconciliationis cum Deo & viam obtinendæ vitæ æternæ ratio omnino nesciat, virtutem tamen naturalem & speciatim officia erga Deum, animæque immortalitatem ita agnoscit, ut pædagogica quadam doctrina ad altiores ducat fontes, unde ipsius supplendi sunt defectus. Differt vero a Theologia Morali Philosophia Practica 1:o Principio cognoscendi, illa enim ex revelatione, nostra vero ex ratione derivatur. 2:do Objecto, nostra circa actiones hominis naturalis liberas, illa circa spirituales hominis regeniti potissimum versatur, unde simul utriusque Disciplinæ quoad subjectum differentia elucescit. 3:o fine, illa enim viam perveniendi ad unionem cum Deo, & obtinendi vitam æternam docet, nostra vero felicitatem temporalem præcipue intendit, & ad illam tantum pædagogica est. Atque hinc sibi mutuo repugnare nequeunt hæ Disciplinæ; neque enim ratio & revelatio, quæ ex eodem principio, scilicet Deo originem petunt, sibi invicem contrariantur. Quum autem Jurisprudentia Civilis adplicet Jus Naturæ ad hanc vel illam civitatem pro diverso ejus statu & structura, facile Disciplinæ nostræ ab illa hinc intelligitur differentia.

§. XXII.

Quum per Scientiam definiatur Philosophia Practica §. 18, patet, omnes in illa veritates esse demonstrandas, & ex certis principiis legitimo nexu

A 2

deri-

derivandas. Duplici modo doctrinam Juris Naturalis tractare solent hujus Disciplinæ Doctores. Vel enim ex naturæ humanæ actionumque cum eadem convenientia, vel ex voluntate Divina omnem moralitatem derivant; quam proinde vel objectivam cum Scholasticis, hosque secutus Grotio & Wolfio, vel subjectivam cum Puffendorffio & sequacibus ejus defendunt. Hi omnia legis præcepta ad voluntatem Supremi Numinis referunt, de modo, quo illa cognosci possit, quam res ipsa postulat, minus solliciti; illi vero ad naturæ convenientiam confugientes, omnia ex perfectione propria adeoque amore sui derivanda censent officia. Et licet adfirmant obligationem naturalem ad suum Auctorem Deum esse referendam, in ipsa tamen tractatione hoc minus observare solent; nec officia per rationes, ex attributis & voluntate Divina desumptas, determinant. Methodum hanc faciliorem esse dicunt, & cuius sibi conscio magis planam & perviam. Quin etiam adferunt, Lege Naturali sic ab omni Numinis sensu abstracta, obligari posse Atheos, omne Jus, a voluntate Summi Numinis derivatum, contemnentes; qui tamen actionum suarum consecutaria bona vel mala non possunt non ipsi persentiscere. Verum, qui ex voluntate Divina moralitatem deducunt, eo ipso principium quidem essendi & normativum admittunt ac statuunt; principium cognoscendi adhuc desideratur. In eo namque cardo rei hic vertitur, quomodo voluntas Divina, quæ actionum humanarum esse debet norma, per lumen naturæ in-

note-

notescat. Et quamdiu hoc in obscuro latet, vel satis demonstratum non est, nullum suppetit criterium, quo bonum a malo discerni queat. Sed qui de moralitate interna solum agunt, & Deum ex Systemate Morali excludunt, doctrinam prudentiæ tantum tradunt, non autem Jus Naturæ. Nam Lex absque Legislatore, obligatio sine obligante ne intelligi quidem possunt; proinde neque Athei Jus Naturæ, proprie sic dictum, admittere queunt. In vera igitur ac solida Juris Naturalis tractatione utraque conjungenda est methodus, omniaque officia ex utroque fonte simul derivanda; hinc principium posuimus *voluntatem Divinam, nisi eandem ipsa natura patefacit.*

§. XXIII.

Quum scientia involvat certitudinem, eidem in primis hac in Disciplina studendum est; quippe quæ veritatum ad praxin adplicationem maxime promoveat, dum quæ certo non cognoscuntur, difficulter ad usum transferuntur. Fieri quidem potest, ut in praxi seu adplicatione regularum generalium ad casus speciales varii subinde committantur errores, quod certitudini Disciplinæ nostræ obvertere solent sceptici Morales; sed distingvendum est inter veritates ipsas & earum adplicationem. Illæ utut certæ sint, in ipsa tamen praxi error facile obrepere potest, nisi maximam adhibueris diligentiam & circumspeditionem; quod vel exemplo veritatum Geometricarum constat, quæ

quæ licet certissimæ sint, nihilominus male & perverse applicari possunt, quod sæpe fieri ipsa docet experientia. Alia est principiorum, alia conclusionum ratio. Licet enim vera sit propositio major universalis, quam exhibet Lex Naturæ; nihilominus tamen, si, quæ pro varietate casus specialis subsumitur minor, erronea fuerit, conclusio syllogismi practici evadere potest falsa, qui error non Legi sed Legem applicanti est tribuendus.

§. XXIV.

Quemadmodum in omnibus Scientiis veritates dantur generales, cæteris præmittendæ & fundamenti loco substernendæ, sic in Moralibus illæ quoque adsint, necesse est. Hisce præmissis reliquæ veritates, circa quas enodandas universa versatur Philosophia Practica, & facilius intelligi & ex principiis suis legitimo nexu solide magis deduci ac demonstrari possunt. Hæc, quæ tradit & explicat, principia Philosophia Practica Universalis dicitur; proinde recte ipsa per Scientiam veritatum generalissimarum, juxta quas dirigendæ sunt actiones nostræ liberæ, definitur. Erit hujus ostendere, naturam humanam moralem esse; actionum indolem, differentiam & moralitatem exponere; Legis & Obligationis ideam, ac varias utriusque divisiones evolvere; culpæ, doli & imputationis notionem tradere determinatam; principium essendi Juris Naturalis ostendere, idque a principiis cognoscendi probe distingvere. Verbo, notiones exhibeat

hibeat generales, ex quibus Naturæ Leges intelligi, juxta serie demonstrari & ad perfectionem vitæ moralis applicari possint. Aurea prorsus sunt verba Hertii in Commentatione, de Jurisprudencia Universalis, Sect. I. c. 1. §. 8. & ipsa hic recitari merentur. In Jurisprudencia Universalis, inquit, sunt vera Juris fundamenta, quibus universum Juris cujuscunque fastigium innititur; in illa sunt fontes, e quibus veluti per canales atque rivulos Jus educitur; illa sunt semina, quæ, procedente proficienteque judicio utruque, in ramos postea quam latissime se diffundunt atque explicant: sunt in illa scintillæ, quibus mens ubique collustratur; sunt in illa claves, quibus adyta Juris referantur; sunt denique in illa cynosuræ in vastissimo Juris oceano navigantibus propositæ. Quum sic viam cæteris Philosophiæ Practicæ partibus rite intelligendis aperiat hæc Disciplina, nec, quid ipsæ involvant, sine hac prorsus concipi possit, haud difficili negotio patet, quanti ipsa sit faciendæ; quemadmodum hinc insimul elucelcit, quales neglectus hujus pariat effectus.

§. XXV.

Philosophia Practica Particularis dicitur illa, quæ particularia hominis officia explicat ac demonstrat, quorum pro diversitate diversas admittit partes. Sic dantur officia vel erga Deum, vel erga nosmet ipsos, vel erga alios, pro triplici igitur hocce objecto tres existunt Juris Naturalis partes, The-

Theologia nempe Naturalis Practica, Ethica, & Jus Sociale. Officia erga Deum hac ratione demonstrantur: Quum Deus hunc mundum, & quas suo complexu continet res omnes creaverit atque censervet, Illi sumus subjecti, Eiusque voluntati parere debemus. Nulla enim sufficientior subjectio- nis ratio cogitari potest. Quoniam Deus est optimus, & maxima indes in nos confert beneficia, Illum super omnia amare debemus, Eidemque con- fidere nostrum est. Quandoquidem Deus est potentissi- mus juxta ac justissimus, & immorigeris justas in- fligere valet & vult pœnas, Illum timere oportet; qui timor, considerata bonitate Dei summa, ser- vilis esse non debet, sed talis, quo bonæ indolis fi- lli sibi cavent, ne offendant parentes. Quemadmo- dum Deus eas nobis concessit vires, quibus sum- mas Ipsius perfectiones, quarum speculum est mun- dus, non quidem plene & perfecte, aliquo tamen modo percipere queamus, nostræ sunt partes eas agnoscere, admirari, celebrare atque alios ad i- dem agendum excitare. Hisce cultus Divinus tam internus quam externus, quantum quidem lumi- ne naturæ constat, potissimum absolvitur.

Officia erga nosmet ipsos hac ratione pate- scunt: Quoniam Deus animam nobis dedit ac cor- pus, atque partem utramque multis præstantissi- misque instruxit dotibus, non eum utique in fi- nem, ut hæc dona perdamus & inculta relinqua- mus, sed ut illa conservemus, & qua fieri potest, industria perficiamus, illud cavere, hoc agere nostri

nostri est muneris, quod qui ratione gaudemus, eo lubentius debemus facere, quia instinctus ad con- servationem propriam cuilibet animali inditus de- prehenditur.

Neque officia erga alios ex longinquo sunt re- petenda. Quum Deus tales nos fecerit, ut alio- rum indigeamus ope atque officiis, sine quibus nec salvi & incolumes, nedum felices esse possumus, Idem quoque voluit Deus, ut ab aliorum læsione abstinenceamus, eorumque, quo fieri potest modo, bonum promoveamus & commodum. Pone con- trarium. Ergo Deus produxit genus huma- num, ut illico periret, vel semper miserum esset, quod est absurdum. Hæc officia vel perfecta sunt, vel imperfecta. Illorum tanta est necessitas, ut, si negentur, violento modo exigi possint, hæc vero a spontanea hominis benignitate promanare debent. Nec aliud fert ipsa eorum natura, quum benefi- cium vi extortum beneficium esse desinat. Atque, si ad omnia, quibus homines sibi invicem opitulari possunt, exigenda, vim adhibere liceret, gratuita benefi- centiæ exercendæ nullus relinqueretur locus, & summum jus summa fieret injuria.

§. XXVI.

JUS Naturæ Sociale pro ratione status, in quo ho- mines versantur, distingvi potest; qui ut duplex est, naturalis & civilis, ita Jus Gentium & Po- liticum inde exurgit. Status naturalis amplius non datur

datur, nisi apud integras gentes, quæ neminem agnoscunt superiorem præter solum Deum; & quod ad has etiam Jus Naturæ pertineat, manifestum est. Quum enim Deus velit conservationem & felicitatem generis humani, non potest non ab ipsis quoque gentibus illa exigere officia, quæ cum hoc fine necessarium habent nexum, idque eo magis, quia, si violantur, plus damni ac detrimenti inde sequitur, quam si privati privatis noceant. Quoniam vero gentium diversa est in multis conditio ac singulorum civium, illas quoque Jus Naturæ diverso modo complectitur; cujus discriminis observatio in controversiis populorum tractandis maxime est necessaria.

Jus Naturæ Politicum imperantium & parentium jura & officia comprehendit. Quemadmodum ea jam est generis humani sort, ut non nisi in societatibus illis magnis, quæ civitates dicuntur, incolunt & felix esse possit; ita Deus non potest non velle & adprobare ea omnia, sine quibus societates hæ stare & florere nequeunt. Talia igitur quum sint imperantium & parentium jura & officia varia, quod hæc Jure Naturali contineantur, evidens est. Quum Deus nihil velit frustra, hæc jura non concipienda sunt majora, quam res ipsa requirit; proinde qui vel imperantibus infinitam potestatem in populum, vel populo jus vitæ & necis in ipsos imperantes adstruere conantur, profanum committunt errorem. Cavendum etiam est
ne

ne Jus illud Naturæ Politicum ad talia extendatur, quæ illo definita non sunt. Sic licet in omni civitate summum quoddam imperium sit necessarium, an tamen id penes unum, pauciores vel plures residere debeat, ab hominum arbitrio pendet; quambrem, qui vel monarchicam vel liberam regiminis formam ex Jure Naturali derivatum eunt, hallucinantur. Eadem est ratio institutorum negotiorumque civilium plurimorum, quæ salva justitia naturali variis in civitatibus infinitis prope modis variare possunt; prout in actionibus hominum privati multa cujusque arbitrio sunt relicta. Et, qui omnem actionum indifferentiam negant, tale fingunt Jus Naturæ, quod inutile foret, quum a nemine mortalium intelligi posset.

§. XXVII.

Sic, quæ Jus Naturæ exigit officia ex genuinis fontibus directe deducuntur, quæ ex una tantum propositione, quæ demumcunque illa fuerit, non nisi per ambages, & ne sic quidem latis valide demonstrari possunt. Atque mirum videtur, quomodo viri doctissimi & perspicacissimi eo devenire potuerint, ut totum Jus Naturæ uni principio complexo superstruere vellent, quum alia Scientia inveniatur nulla, quæ scita sua omnia ex una propositione derivare conetur. Ex pluralitate illa principiorum, quorum singula ut unice vera propugnari solent, hoc maximum provenit incommodum, quod via sic panditur ad Scepticismum Moralem

ralem. Nec enim non suspecta esse potest certitudo Scientiæ illius, in qua de ipsa veritate fundamentali tot contrarias fovent sententias Auctores? Verum hunc scopulum evitare licet, ubi ostenditur diversa illa principia qua maximam partem sibi non esse adversa, sed inter se amice conspirare & ad unum finem concurrere; quorum non singulis sed universis superstruendum est Systema Morale, haud secus ac fundamentum domus non unus, sed plures omnino lapides constituunt. Quid? Quod qui unum tuentur principium, facto ipso nobis accedant, quum in tractatione ipsa, proprio non sufficiente, ad alia haud raro principia confugiunt, iisdem que ut propriis utuntur; quæ etiam est ratio, cur qui principii dissident, in conclusionibus tamen inter se plerumque consentiant.

S. D. G.



118
 Clarissimo Philosophiæ Candidato,
 Dn: GABRIELI KROGIO,
 pro summis in Philosophia honoribus, de *Natura & Constitutione Philosophiæ Practicæ* egregie differenti,
 AMICO EXOPTATISSIMO.

Scientias omnes, quæ ambitu eruditionis humanæ comprehenduntur, varia atque multiplici semet commendare utilitate, nemo est, qui non concedat; earundem vero unam præ altera majorem in ipsa adplicatione cultoribus suis polliceri ac exhibere usum, etiam neminem inficias iturum existimo. Qua in re Philosophia Moralis adeo infimi non est subelli, ut potius primum sibi vindicet locum; officia etenim singulis, in quocunque demum positi sint statu, tam Deo, quam aliis & sibi met ipsis præstanda, determinat, eorumque rationes genuinis ex fontibus derivat. Tanto itaque majoribus mandandi sunt laudibus, qui tempus suum Scientiæ huc consecrant, quanto uberiores ex hoc labore fructus carpere illis datur. Dum itaque, Amice suavissime, inaudivi, Te iterum in arenam descensurum esse disputatoriam, & alterum specimen Academicum editurum, de *Natura & Constitutione Philosophiæ Practicæ*, non possum non summa animi perfundi læticia, quæ candidi intra pectoris claustra cohiberi neficia, in publicum gestit protumpere. Laudum Tuarum præconem heic agerem, nisi probe scirem, hoc Tuae minus gratum fore modestiæ; proinde paucissimis tantum, ad se tu tamen copiosissimo expediam rem. Dissertatio hæc Tua, solide ac nervose elucubrata, sufficientissime ostendit, Te, Amice suavissime, variis in Scientiis egregiam collocasse operam, & eximios fecisse progressus; idque eo magis, quo præstantiores Tibi contingant dotes, ingenium nempe optimum & iudicium subactum. Hæc igitur naturæ & industriæ munera Tibi gratulor; gratulor specimina Academica rite & cum laude peracta; gratulor honores mox capessendos; gratulor denique Parenti

renti Tuo, Viro venerabili, Filium Sui exemplum. Quod
præmia laboribus Tuis condigna reportes, perſuaſiſſimus om-
nino ſum, &, ut hæc Tibi quam citiſſime contingant, ſincere
opto ac voveo.

TIBI

obſtriſſimus,

JOH. LAGUS.

Wiburg.

Clariffime Dn. CANDIDATE.

Amice honoratiſſime.

QUam primum mihi innotuit, Te, Clariffime Domine Can-
didate, alterum eruditionis Tuz documentum juxta
ritus Academicos exhibiturum eſſe, ſtatim cogitare ceppi,
quomodo, Fautor & Amice honoratiſſime, animum decla-
rare poſſem Tui ſtudioſiſſimum. Quæ plurima ceppi benevo-
lentiz Tuz experimenta, non paſſa ſunt, ut hanc adeo
commodam occaſionem dimitterem; qua vero ratione voti mei
compos ſiam, non video. Nam in laudes Tuas excurrere
vires meæ non permittunt; quod ſupervacaneum quoque fo-
ret, quum Tua variis in Philoſophiæ partibus eruditio ſo-
lida nota ſatis omnibuſque perſpecta ſit.

In illis, quibus operam haud ſegnem navavi, Scientiis,
Philoſophia Præctica tanquam præſtantiſſima Tibi complacita
eſt; de qua ita egeſti, ut Tuo exemplo ſatis comprobariſ, quid
ingenium expolitum & judicium a præjudiciis liberum effi-
cere valeant.

Gratulor itaque Tibi eximias animi dotes, & erudi-
tionem pulcherimam; gratulor Parentibus Filium, de quo
iſi ſibi gratulari poſſunt; gratulor conſanguineis propin-
quum, eorum veſtigiiſ inſiſtentem; gratulor denique ſingu-
lare decus amicis, quorum in numerum rogo, ut referas

TIBI

Obſtriſſimus.

G. O.